Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Phil. Ord.
1618 mense Martio?
Golinski Gregor
Korycinski Samuelis: Poëma encomiasticum eruditissimis viris licentia secundae laureae in alma Acad. Crac. donatis.

POEMA ENCOMIASTICVM

Eruditiſsimis viris Licentiâ ſecũdæ laureæ in Alma Academiâ Cracouieñ. donatis.

A

SAMVELE KORYCINSKI, STVDIOSO Eloqu. conſcriptum &c. D. D.



CRACOVIÆ,

In Thypographia Matthiæ Andreouienſis,
Anno M DC. XVIII.

In Arma Gentilitia Magnifici Domini,

D. NICOLAI DE KORITHNO KORYCINSKI.



STemma Koriciniæ fulget prænobile gentis,
Quod notat Illustres magnanimoſque viros.
Aſcia nam clypeo quid ſuſtentata coruſcat?
Altera Regificum quid diadema tegit?
Scilicet & populis,& Regibus iſta ſecuris
Secura eſt: tetris hoſtibus illa minax.

Perillustri & Magnifico Domino

D. NICOLAO KORYCINSKI DE KORITHNO,

Fratri perpetuo cultu obseruando, S. P.

Conscripsi Gratulatorium Magnifice Domine, stricta numeris oratione. Occasio fuêre viri eruditissimi quos Academia recenter altiori in Philosophia honoris gradu dignos renunciauit. Festum hunc mihi quoque diem esse volui: & quòd antiquæ istius matris vbera ab aliquot iam annis sugam, & quòd in ea honoratorum coronâ meum quoque Præceptorem aspiciam. Scio meis Academicis gratissimos fore meos conatus: amant enim illi etiam (vt patres in liberis) incipientem balbutiem. Quod si tu quoque Nicolae Koricinski faues primo labori, vt tui sanguinis es amantissimus, industriæ meæ neruos excitabis ad maiora aggredienda, vale. Cracouiæ VI. *Kal. Martij, Anno* 1618.

Magnificentiæ suæ

Frater obseruan.

Samuel Korycinski.

POEMA.

DIcere mens agitat vigiles Heliconis alumnos
Grādia quos ſummi ꝓpter monumēta laboris,
Pallas odoriferâ redimit gratiſsima lauro
Pierides Muſæ primo pro carmine vires
Aſpirate nouas, tenuemq; iuuate Poëtam.
Hic vbi Viſtuleæ fluctu voluuntur arenæ,
Luxuriant campi, centumq; armenta vagantur
Prata per, & ripis contermina paſcua tondent,
Sylua fuit quondam, nunc Vrbem mœnia cingunt
Magnificam populis, & templa frequentia ſummas
Exuperant turres, ſurſumq; cacumina tollunt,
Sed quod præcipuum magnæ decus addidit Vrbi,
Mirificâ claret præſtans grauitate Senatus:
Tum domus Aoniæ ſtudiis celeberrima Diuæ,
Hanc omnes habitant Parnaſsi collis alumni,
Mille ſonant voces per pulpita, mille cohortes,
Conueniunt iuuenum longis regionibus: illos
Ignea doctiſonas virtus inflammat ad artes,
Hinc alij ſanctas per cana volumina leges
Inquirunt, & iura legunt, libroſq; fatigant:
Abſtruſas alij naturæ diſcere cauſas
Sollicìti curant, quid opertus nubibus æther
Condenſat gelidaſq; niues, nimboſq; frequentes?
Quid toties rutilum metuenda tonitrua cœlum,

Fulgu-

Fulgura quid turbant? sæuit cur igne trifulcò
Iuppiter æthereus? tanto quid tempore tellus
Sub niuibus latitat, quâ labe miserrima tellus
Hanc meruit pœnam, quodnam scelus illa patrauit.
Frigore vt infelix tanto constricta prematur,
Sydera suspiciunt alij stellasq; micantes,
Noscere signiferi sinuosa volumina cœli,
Quod teneat Saturnus iter, quod voluitur annis
Per spatium cœli, quo Mars super orbe feratur,
At quos vlterius prouexit grandior ætas,
Indagant sacræ mysteria plurima chartæ.
Omnes per varios exercent sensa labores,
Omnibus vna salus infigere lumina libris.
Hæc dum Cecropiæ cernit mens dia Mineruæ,
Pertentant lætum non paruula gaudia pectus,
Nec tamen ipsa sibi fidit, sed corde volutat
Quis vulgi sensus? quid vulgus murmuret extra?
Nam persæpè solet vanas plebecula voces
Spargere; tum vultus exit mutata serenos,
Nec sibi turpe putat vestes sumpsisse viriles,
Inq; viri specie confinia lumina visit.
Tum quem consilio cautum rebusq; gerendis
Nouerat illius penetralia læta subintrat.
Hospes vt optatis fuerat cumulatus amicis
Vir pietate grauis, rectorq; potissimus Vrbis
Assurgit iungitq; manus, & dulce salutat,

Tum poſtquam ſellâ reſidere coëgit eburnâ
Quis ſit & vnde rogat; non demens aduena fatur:
O ſi cuncta mihi narrare pericla liceret,
Purpureum veheret citius lux altera ſolem,
Nec vos poſſetis placidæ dare membra quieti:
Vt tamen attingam ſummi faſtigia caſus,
Sic breuiter de me liceat cognoſcere vobis.
Me pater Ægiochus ſolis generauit in ortu,
Pieriamq́; domum rudibus deduxit ab annis,
Atq; vbi Cyrrhæo turgebat Apolline pectus,
Infelix naues petij genitore relicto.
Dumq́; maris tumidos luſtrare peropto receſſus,
Mox agitant venti promiſcua bella petulci,
Horrificoſq́; cient nimbos, ſtriduntq́; procellis
Et modò veſpereâ Zephyri glomerantur ab ora,
Et modò nubiſoni collectis viribus Euri
Turbinibus denſis inſtant: ferus Auſter anhelat,
Vt canis Eumathius lepores ſi fortè fatigat.
Hinc rapidus ſæuit Boreas Aquilonis ab antris,
Quem ſequitur vehemens violento murmure Caurus,
Per montes volitans, per ſumma cacumina cæcus
Obuia quæq; rapit, rapit acri flamine ramos
In ſyluis, terriſq́; furens commiſcet arenas,
Huic contra ſæuo vulturnus Marte reſiſtit,
Inq; vices redeunt, nunc hic nunc vertitur alter,
Vndiq́; tempeſtas ingens furit vndiq́; turbo:

Sic me nefcio quas ventus deiecit in oras.
Vos precor Ardalidum fedes monftrate Dearum,
Si manet his etiam Pallas doctifsima terris,
Quamuis gens doceat præfentia numina Diuæ:
Nam iuuenes etiam veluti Parnafsia pubes,
Moribus excultis fpectantur & arte Mineruæ.
Quare fi quifquam noftris huc venit ab oris,
Ille meos facilis poterit lenire dolores.
Tum pater hofpitij mordaces demere curas,
Admonet, & mæftæ deponere tædia mentis,
Quifquis es haud metuas fælicius imminet Aftrum:
Optatis potiere tuis, modo linque querelas,
Semper erat noftri fedes numerofa Lycæi,
Semper & à longâ veniens regione iuuentus,
In patrios fines ftudijs cumulata redibat.
Hic labor afsiduus, femperq; remurmurat aula
Mufarum: Stagirita fonat, vel Plato difertus,
Vel qui gramineæ defcripfit climata terræ.
Sicq; nouo femper decoratur honore iuuentus:
Nunc etiam lectos iuuenes (quos fortè videbas
Vt tua dicta canunt) Academia mater honore,
Exornat laudis cingens diademate frontem:
Illi Palladios noctefq; diefq; labores
Sollicitant, releguntq; libros, calamofq; fatigant:
Nec dum criftatus lucem denunciat augur,
Cum iam noctiuagum detersi lumina fomnum,

Florile-

Florilegas imitantur apes, dum vere renatas,
In Pæsto populantur opes,& mella per herbas,
Decerpunt dulcesq́; sonant per prata susurros
Tum qui Francorum fuerat vir clarus ab oris,
Scire velim (quoniam placuit meminisse Mineruæ)
Qua ratione suos grandis Bøtkouius annos
Vel Schoneus agit Cracouæ lumina Musæ?
Nam velut insignes Academia semper alumnos
Fouerat :his etiam tollit super æthera nomen,
Et memini quando(sed iam modo tertia campos
Bruma tegit) teneros cygneâ voce magistros
Ornauit : mentesq́; virûm stupefecit & aures
Dulciloquus Schoneus celebrisq; Poëta sub Arcto.
Tum lachrymans hospes pertristi voce profatur :
Iam cecidêre ambo Lachesis demessuit ambos
Improba, sic nobis aufert pulcerrima quæq;
Perniciosa finit, nobisq; relinquit iniqua
Quamuis nescio quid totum fatale per orbem,
Dispersum serpat,damnum nec sufficit vnum :
Si malesuada fames cessat, si pestis abiuit
Actutum sæui crudelia bella, Gradiui
Concutiunt orbem,tellusq; cruore rubescit.
Hic status vnus adhuc hominum liber esse videtur,
Scilicet artidicæ qui sceptra piisima Diuæ
Obseruat mundi ludibria vana perosus.
Quamuis vt fatear verum, & quod sentio dicam :

Hic

Hic quoq; non omni penitus ſtat parte beatus,
Liuor vbiq; ſuum contendit ſpargere virus,
Palladiaſq; ſtudet mordax laniare cohortes,
Excitat hic Stygios flammanti ex igne Dracones.
Acclinatq; caput, tacitamq; ſuſurrat in aurem,
Hic tandem de qua promanet origine liuor.
Hæc ita dum referunt, & commentantur vtrinq;
Illorum ex oculis euanuit inclyta Pallas.
Aſt vbi purpureum vexit lux poſtera ſolem
Quadriugo curru, roſeumq; retexit Olympum,
Apparet iuuenum chorus (admirabile dictu)
Colle ſuper viridi, campos licet alba per omnes
Nix rutilet circum, ſolus mons ille virebat,
Solus Achæmænios herbis ſpirabat odores:
Nam ſuper Ambroſij depicta cacumina montis
Lucebant niuei vario diſcrimine flores,
Lilia cum violis, Sirij quas inter amomi
Spirat odor fragrans, & bella liguſtra rubentes
Diſtinguunt caſias, vernat gratiſsima Laurus
Quâ facunda ſibi præcinxit tempora Pallas:
Nam veluti roſeo iuuenis pulcerrimus ore,
Qui teneras pingit prima lanugine malas,
Se finxit, vocemq; viri criſtasq; viriles,
Errantesq; videns in ſummi vertice montis:
Heu inquit iuuenes liceat non multa profari.
Quæ vos mens agitat quæ triſtis cura fatigat?

Non ego vos dubito limen triuiſſe Mineruæ:
Nam docet hoc veſter fruſtratus ſanguine vultus,
Me quoq; Pieriæ quondam nouêre Camænæ,
Et licet incautum iuuenem detraxerat aula
Nunc eadem pepulit, Muſisq́; litare coëgit.
Rara fides cani quondam dixere priores,
Nunc ego iam didici quæuis rariſsima virtus,
Et procul inuiſæ virtus à poſtibus aulæ
Exulat: inſidiæ regnant fraudesq; doliq;
Quare ſi quidquam vobis iuuenile placebit
Conſilium: doctas ſocij ne temnite Muſas:
Nam licet hoc tempus penitus certare videtur,
Pierides contra, poterit tamen affore quondam,
Quò ponent ferri ſtudium martemq; peroſi,
Ad Muſas iterum flagranti mente ferentur:
Et facient ſtricto curuos ex enſe ligones.
Quanquam quis veſtrum non pluris nomenhoneſti
Quam ſegnem faciat vitam, quam vana Metalli
Fulgura, quæ multo dominorum corda timore
Concutiunt, magnosq; parant ſubrepta dolores.
Quare Cecropiæ potius pia tecta puellæ,
Vos decet amplecti cum Muſis ducere vitam,
Eſt ibi multiplici decoratus ab arte BOSANTVS
Quem Latiæ gentes quondam quem Roma ſtupebat,
Ille Cerebrigenæ ſueuit non durus alumnos,
Acceptare, piis conatibus ille libenter

Auxi-

Auxilium præſtat dulces recreatq; Camænas:
Et vos haud toruo (quid non facit inclyta virtus)
Excipiet vultu,magnoq́; ſequetur amore
Hoc iter Artidicæ deducit ad atria matris
Adueniamus ait: recto vos tramite ducam;
Dumq; viam celerant omnes lætiq; ſequuntur,
Iamq; vident culmen: Non aduertentibus illis
Quod ſuſcepit iter, vel quas ſeceſsit in oras,
Cernere non potuit quiſquam nec ſcire virorum.
Caſtalides Muſæ quoniam maiora ſequuntur,
Aſpirate precor tenuesq; leuate Camænas,
Nunc grauiore lyra, nam ſunt grauiora canendum,
Dum iuuenes ſecum quæ ſint ea viſa ſtupeſcunt,
Sacra Palatinæ dicuntur templa Mineruæ
(Si non vana fides) modico tremuiſſe fragore.
Tum ſacer ille virûm prolixâ veſte Senatus
Conuenit Auguſtæ celſas in virginis ædes:
Mox vbi ſederunt patres grauitate verendi,
Aureus ecce liber menſâ reſplendet apertâ,
Qui iuuenum mores,qui ſplendida facta ferebat.
Non ego cuncta meo quæ ſunt quàm plurima verſu,
Perſequar: at breuiter quædam memoraſſe licebit.
Primus erat patrio dictus ſermone LOMINSKI, 1
Non animo fractus,ſed quod perfringere noſſet
Infenſos Sophiæ firmis rationibus hoſtes.
Hunc PIOTROWICKI quo non præſtantior alter, 2

Inſequitur, petrâ validum qui nomen ab alta,
Deducit, quoniam celſam conſtantia mentem
Firmauit, quem non vis vlla nec ignis honeſto,
Deturbare queat, ſæui nec tela Gradiui,
Et licet heroas inter verſatus & aulas,
Non tamen à ſtudijs animum deſpondet honeſtis,
Sed rurſus bifidi ſuper alta cacumína montis,
Non ſegnis reuenit, poſitisq; ambagibus aulæ,
Alta nouenarum conſcendit tecta Dearum.
3. Turca. Tertius Elogiis & carmine dignus Arati,
Dignus MELCHEROWICZ quē caſtra loquantur & aſtra:
Namq; Planetarum dum planè arcana reuoluit,
Horrendum ſedare docet, vel tollere Martem:
Idcirco OSTROGIVS Ruſsi tutamen honoris
Has in eo dotes PRINCEPS ardenter amauit.
Non procul hinc alto ſocios ſupereminet omnes
Vertice, nec ſtudijs minor eſt, nec pectore DRASKI,
4. DRASKI Germanis non paulum notus in oris,
Nec pernoſſe ſatis germanæ murmura linguæ,
Sed miſeros etiam ſpoliat ſermone Pelaſgos,
Nec modò naturæ promptus ſecreta repandit,
Sed Ciceroneâ decerpit ab arbore fructus.
Proximus huic fulget niueâ ceruice decorus,
5. Occiduis necdum laſſus SLOVACIVS annis:
Exterius facies floret vernante iuuenta;
Sed mens interius maturos præterit annos,
Inge-

Ingenium præſtans, & quod non cedere poſsit
Dædaleo; quamuis tantum ſibi priſca vetuſtas
Attribuat, tantum varias deprædicet artes.
Vt fecit neruos animalibus, vtq; moueri
Neſcia bruta viæ per campos arte coegit:
Vt Labirinthæos potuit fabricare receſſus,
Multiplicesq; vias cæcis erroribus auxit.
Inſuper aëreis ſubuectus in æthera pennis,
Inſolitum per iter, rabidas deuenit ad vrſas.
Quid te MODLINSKI cumulatâ laude celebrem? 6.
Ipſa ſatis de te loquitur celebrata vetuſtas,
Quam tu Neſtoreo plusquàm ſermone per aures
Vexiſti comitum, comites patresq; verendi
Attoniti ſtupuere tuæ prægrandia linguæ
Pondera, facundam vocem, tenerumq; leporem,
Cynnameumq; melos, & pectus nectare plenum.
Quod ſi Biſtonij conſtans poſt ſecula vatis
Fama viget, magniq; canunt ſua plectra Poëtæ:
Te quoq; fama canet longos manſura per annos,
Et ſi Threijcius ſyluas, & ſaxa mouebat,
Tu mentes hominum, tu corda feroci a molli
Demulces linguâ, furibundaq; pectora frenas.
Nec mihi KVRCOVI rapiet te obliuio cæca, 7.
Quem doctrina potens in apertâ luce locauit;
Et ſi clamoſis inerit vis vlla theatris,
KVRCOVîj nomen clamoſa theatra ſonabunt,

 Virtu-

Virtutesq; canent, serisq; nepotibus altam
Vulgabunt mentem, non defessosq; labores,
Quos bene qui sequitur studio præclarus & arte
8. PVDLOWSKI nouit, non ignotissimus ipse,
Qui magni mores grauitate Catonis adornat,
Nec mouet huic facilem narratio vana cachinum,
Nec qui turgescunt insano scommate: ludi
Semper honorandas voluit sub pectore curas.
9. Hoc comes illius SCAVINIVS ipse fatetur
Qui lunæ effectus, & lucida sydera nouit,
Cælestesq; vias, & magni climata mundi,
Quid tempestates moueat? quid in æthere nimbos?
Quid duras hyemes? quales hoc sensimus anno,
Prima videbatur facies mitissima brumæ,
Nec glacies fluidos constrinxit in amne liquores,
Nec montes aspris niuibus, nec saxa rigebant,
Mox vbi purpurei radiantia lumina Phœbi,
Et celeres radios persensit Aquarius ingens
Per terras cæpit frigus diffundere vires,
Caucaseumq; gelu, tristesq; per arua pruinas:
Horum tu causas cælo specularis in alto,
Optime SCAVINI: sed dum tua dogmata pango
10. Expectat (secum trutinans) SIRADIVS, & me
Non sibi syncerum, vel cassum lumine credit,
Nam prior ille fuit: sed non mens alta mouetur,
Vix locus ad laudem spectat, constantia famam,

Inge-

Ingeniumq́; parit, quam nec tibi cana vetuſtas,
Nec rapiet ſerum poſt plurima ſecula tempus.
Exulat hinc turpis nec edit præcordia liuor:
Nam quâ ſignilegus claret Scauinius arte,
Hercivs hanc iuxtà vigilanti pectore ſeruat: 11
Nec tamen ardeſcunt odijs, nec vipera mentes
Exangues macerat, ſed amoris fœdere ſtricto,
Herculeas mentes concordia ſacra ligauit.
Ambo ſtelliferi radioſa grauamina Regis
Suſpiciunt, ambo curſum ſpeculantur Olympi.
Teſtis es ô felix clarisq́; parentibus orte
Zardecki cuius prænobile pectus, auitum 12
Non ſat habet nomen, magnosq́; parentis honôres,
Sed decus accumulas ſtudijs, noctesq́ue, diesq́ue,
Peruigilas, Sophiæ carpens ex arbore flores,
Ex quibus æternam geſtes in fronte coronam.
Mitto quid valeas quâ ſis virtute Golenski 13
Inuitus certè, ſed te cogente tacebo:
Omnia nam ſceptro tribuis prudenter Olympi.
Te iam Gniadkovi Muſarum magna voluptas, 14
Aſpicio lætus, cuius liber ille labores
Immenſos pandit, quales nec Portius ipſe,
Nec tulit Aeolides, quamuis immania ſaxa
Aſsiduò voluit, ſi non figmenta Poëtæ
Sparſerunt, ſed vana fides ſi forte Poëtas
Eluſit: de te mentiri fama nequibit.

Et licet

Et licet in multos confingere plurima nôrit,
Nil de te poterit, nam non mendacia ſigna
Vultus habet,nec enim de te Poſnania pubes,
Nec reticent patres, Prælatorum q; Senatus
Quàm benè,quàm ſanctè, vigilans tua munera obibas,
Nec tibi ſat fuerat Phæbo lucente libellos
Voluere : ſed noctu (magna eſt iniuria nocti)
Cana fatigabas veteris monumenta Mineruæ.
Immenſas Ciceronis opes ; prægrandia vatum
Dogmata : tum quidquid iactat rugoſa vetuſtas :
Talis GNIADKOVICZ. Tres ſummo fine locat i,
Egregiâ facie, veluti tria lumina ſplendent,
Ingenio celeres primis certare parati.
15. MALERIVS cultæ quo præſtet acumine mentis
Ingenium docuit, docuit facundia linguæ,
Quam Pallas roſeis madefecit amica fluentis,
Floret Romulidûm lepido ſermone, ſimulq;
Inuia ſcrutatur Stagiritæ ſenſa Magiſtri,
Nec genium Muſæ, nec ludit pectus Apollo:
Dicere ſi quid auet non ſegnia verba ſequuntur,
Dulcia nectarei fundunt melimela lepores.
Vtq; ruunt vernæ celſis de montibus vndæ,
Cum radijs Titan campos feruentibus vrget :
MALERII pariter largo de pectore verba
Dulcia promanant, & denſo flumine currunt.
16. Alter ALEXANDER multâ pietate Sacerdos

Sydus

Sydus Miechouij lux & gratiſsima clauſtri,
Non minor hoc ſequitur; labiis nam Suada ſub ipſis
Nectareo ſermone iuuans facit eſſe diſertum:
Etſi diues erat facundi Roma leporis,
Hic quoq; blandiloquas linguâ prædiuite voces
Profundit, nec verba tamen ſine pondere manant,
Sed grauitas, & pondus ineſt, & maxima virtus,
Virtus Pierias fælix comitata Camænas;
Nam licet ingentes Sophiæ, accumulârat aceruos
Haud contentus erat, nec maxima dona putauit,
Ni virtus regeret, quæ verè ſola beatos
Efficit, & Lacheſis crudelia tela refringit.
O te fælicem natumq́; fauentibus aſtris,
Qui puerafcentis veluti ludibria mundi,
Fortiter incertos ſprêſti generoſus honores,
Verbigenæq́; Dei ſacrum memorare ſepulchrum
Non inuitus aues, onus hoc tibi proderit olim.
Perge bonis auibus, ſiccum tua membra ſepulchro
Condentur, poſtquam reſecabit ſtamina Clotho,
Iurè tui Chriſtus cuſtos erit ipſe ſepulchri.
Ordine poſtremus, ſed non poſtremus HABERMAN.
Artibus, & cultæ præſtanti munere linguæ,
Forma virum, formam virtus decorauit honeſtam.
Hæc ego dum tueor (quamuis non cuncta tueri
Fas erat) inſueto reſplenduit aula nitore.
Et velut ignifluo cum ſpargit lumine terras

Purpureus Titan, penetralia ſacra micabant.
Tum qui Neſtoreis cunctos præceſſerat annis,
Sic ait, attolens geminas ad ſydera palmas.
O Pater Omnipotens magnus cui paret Olympus,
Terrarumq; ſinus, & monſtra horrenda ſub vndis.
Quid liber iſte notet, quid lux da noſcere nobis:
Et ſi quos iuuenes noſtræ prodeſſe Mineruæ
Decrêſti, noſtros facias intrare Penates,
Ipſe viam doceas, dubios & dirige greſſus.
At nos perpetuas tanto pro munere laudes
Reddemus, doniſq; tuas onerabimus aras:
Te iuuenum linguæ, te carmina noſtra ſonabunt.
Hæc vbi dicta: ruunt iuuenes tectiſq; ſubintrant.
At ſacer ille virûm ſuſpenſâ mente Senatus
Obſtupuit, ſecum trutinans ea fata Tonantis.
Tunc pulchro iuuenum ſic primus ab ordine fatur:
Grandeuâ pietate patres, qui ſceptra Mineruæ
Laude gubernatis magnâ, quos fama per oras
Sarmatiæ celebrat, gens & vicina ſtupeſcit:
Parcite quod veſtrî ſubeamus tecta, precamur.
Neſcio quod fatum quæ nos huc impulit aura,
Fama quidem conſtans quæ vos ſuper æthera tollit,
Non ignaua ſonans, quo ſitis pectore narrat,
Qua pietate patres, quæ ſit clementia vobis:
Non tamen abſq; morâ veſtras intrauimus ædes,
Nam quid nos miſeri tantorum tecta virorum

Intremus quorũm tumidas trans æquoris vndas:
Finibus extremis laudes & facta canuntur?
Nunc quia fata volunt, vel iam voluiſſe videntur,
Supplicibus votis aures præbete benignas,
Suſcipite errantes, & lumina ſacra petentes.
Hæc vbi percepit doctiſsimus auræ Boſantus
Conſpexitq; viros, verbis reſpondet amicis:
O iuuenes quorum tendit ſuper ardua virtus,
Et generoſa mouent celſam ſuſpiria mentem,
Ardor hic igneſcens qui vos ita ſuſcitat intus,
Non modicam laudem, nec præmia parua meretur:
Sed labor immenſus conatibus imminet iſtis,
Nec vobis otio, nec iam torpore licebit
Segnitie turpi, procul & lutulenta voluptas
Abfuerit: tum quicquid iners ignauia ſuadet.
LOMZIVS hæc contra: nec nos veſana voluptas
Abſtrahet à ſtudijs, quæuis nec monſtra laborum:
Quin etiam Stygio ſi vis ruat omnis ab amne
Eumenidumué cohors crines innexa colubris,
Mentibus immotis Muſarum caſtra tuemur.
Poſtquam perſpectæ vires animiq; probati,
Quilibet ex lauro cepit viridante coronam.